

a leuante & greco est turchia chayseria & seuastio & multe alie ciuitates. que omnia subdita sunt tartaris versus occidentem est mare per quod nauigatur ad partes xpistianorum dicto de armenia parua subsequenter dicamus de turcomania //hic naratur de prouincia turcomanie//

turcomani sunt qui retinent legem Macometi

In turchomania sunt tria genera gentium. videlicet turcomani qui macometum adorant & retinent suam legem/ & est gens simplex & habent turpe loquium & permanent in montaneis & in uijs ubi sciunt esse bonum pasculum quia uiuunt solummodo de bestijs & nascuntur ibi boni equi & muli magni ualoris. Et alie gentes sunt armenij & greci qui cum ipsis mixsti sunt in ciuitatibus & castris & uiuunt de mercimonijs & artibus & ibi laborantur drappi de syrico crimisi sunt similiter in ea regione multe alie ciuitates & castra que longum foret describere omnes subditi sunt regi tartarorum orientalium qui eis potestates & rectores mitit// hic naratur de continentijs armenie maioris//

hic sunt armenij & greci

Armenia maior est quedam magna prouincia que incipit a quadam ciuitate nomine arcinga in qua laborantur meliores bucheranj de mundo & multe alie artes fiunt ibi que narari non posunt & habent pulciores & meliores balneas aquarum scaturientium que in mundo reperiantur. in ea sunt multe ciuitates & castra & nobilior ciuitas est Arcinga que habet archiepiscopum & hic bestie male permanent propter inmensum frigus & niuem quam ultra modum ningit deus. & in quodam castro| quod uocatur paperth est maxima argentera & ^{3^v} inuenitur hoc castrum eundo de trapesunda in thauris. & in medio armenie maioris est quidam maximus & altissimus mons admodum unius cube super quem arca Noe dicitur astitisse & ex hoc mons ille appellatur mons arche noe & est tam latus & longus quod in duobus diebus circui non posset & in sumitate montis continue tanta multitudo niuis habundat quod nullus potest ascendere sumitatem quia nix nunquam in totum liquescit in confinibus uero armenie uersus meridie sunt iste prouincie musulmus. & meridin de quibus infra dicetur & multe alie sunt. quas longum esset narare. versus uero tramontanam est Jorgia de qua infra dicemus. & in confinibus Jorgie quidam fons est de quo scaturit oleum in tanta quantitate quod mille cameli simul & semel ibi posunt honerari & honerantur set nichil in comestione ualet set bonum est ad ungendum homines & quelibet animalia propter scabiem. & homines de longi[n]quis partibus uenuunt pro oleo isto & omnes contracte circumstantes non comburunt aliud oleum quam istud. & ualet ad multos langores.// hic naratur de rege Jorgensi & eius esse/

mons ubi arca noe dicitur astitisse

nota quod nascitur hic oleum ex quodam fonte.

In jorgia est quidam rex qui dauid melic totis temporibus nuncupatur quod in lingua galica dicitur rex dauid. pars una cuius prouincie subdita est tartareo regi reliqua uero pars propter fortilicias quas habet non est subdita ei set regi dauid & in istis fortilicijs & montibus sunt eorum nemora in quibus non est aliud